

simæ facillè Bibliotheca instruerentur eo ære, quo non aded magnificas & splendas nobis comparamus, hac tamen via quotquot avemus Libros nanciscimur, Bibliopolis Europæis & negotiatoribus quæstu incitatis, ut plurimas ad nos selectorum capsas Voluminum afferant, quæ ab eruditæ Europæ florentibus insignes & prædivites doctrinæ gazas quotidie mutuemur, rarioresque Codices possideamus, ut subinde mirum non sit, exempli gratia, *Orbem terrarum Scriptorum calamo delineatum* operâ Alphonfi Laforis à Varea, seu personati hoc nomine P. Raphaelis Savonarola Clerici Regularis de Providentia, quem non à se visum testatur eruditissimus Bibliothecæ Criticæ Author Illmûs D. F. Michael à S. Joseph Volumine 1. pag. 532. art. *Bibliotheca universalis*, qui rario-ra scrutatus est & evisceravit Volumina; nos ante annos triginta viderimus ( qui etiam pro Bibliothecæ nostræ usui est ) quo tempore quidam Italus Mexici Bibliothecam adeo instructam, copiosam & elegantem distrahendam exposuit, ut centum mille argenteis uncialibus æstimata fuerit, cujus majorem partem in taberna paulatim venum dedit D. Josephus de la Barreda inter Astures natus, quicum nobis fuit consuetudo, pulchrâ dives eruditione, præ qua argentum & id genus cætera negligebat. Quo autem tempore hæc scribimus proflar item Mexici Bibliopola exterus Augustinus Dherbe, qui dudum ab Europa secum detulit Librorum opulentam supellectilem, cum ab Hispanis editorum, tum à cæteris Europæ florentibus eruditæ. Adhæc: Sunt in Urbe nostra per-

petuò tabernæ Librariæ multæ, nec nullius pretij; è quæ una adest non longe ab Ædibus nostris, quæ hastæ subjecta, non minoris coempta est quam triginta mille argenteis uncialibus. At enim frustra in hisce moramur, cum non Mexici modò Urbe primaria & apud Orbem universum inclyta & celeberrima, sed apud Insulas etiam Mexiceas minori frequentia sapientum excultas, Bibliothecæ jam pridem extiterint, è quibus ante centum annos Portugitensem Illmî. Bernardi de Balbuena Episcopi suffuratus est Batavus prædo, quod in Bibliothecæ nostræ ab eximio Poeta Lupe-  
sio de Vega Carpio paucis audiemus.

## ANTELOQUIUM XI.

De Americanorum ingenio, & in literas amore ac studio.

**R**eservatam superius thesim istam Emmanueli Martino dicamus, discat ut ipse quantum in rebus nostris nobisque ipsis judicandis abjiciendisque desipuerit. A litteris nos ad unum omnes abhorrentes scripsit, perinde quasi stipitibus quam simillimos in America natos ac degentes crediderit, aut orbatos mente, aut ingenio ad literas profus nullo, quibus subinde illæ fastidio sint & horrore. Quam verò Americani sint ingenio præclari, statim docendum est, mox eorundem in literas innuendum studiû, amor signandus. Et quòd ad ingenium attinet, ne suspectis & repelendis jure re-

stibus

stibus rem agamus, natos in America viros hac in causa tacitos præteribimus; credimusque à sapientibus viris auditum non iri eos qui, Andabatorum more, clausis oculis, quos in Americam minimè coniecère, nec probatis instructi monumentis, aut Authoribus eruditi, jaculis nos impetere, & de nobis judicare tentaverint. Reliquum est ergo, ut idoneis usuri testibus, viros doctos & graves audiamus, qui apud Europam nati, in consuetudinem nostram venerint, & longo Americanarum rerum usu & experimentis res ipsas imbibierint, mox alios optimis usos testimonijs, & fide dignis instrumentis, parcè exhibeamus. Age verò, & agmen ducant doctissimi Physici diu apud nos commorati, D. Didacus de Cisneros Medicinæ Doctor clarissimus, Astronomiæ Scientia & litteris alijs conspicuus, in Libro de situ, natura & proprietatibus Urbis Mexicæ fol. 113. col. 2. & D. Joannes de Barrios, Medicus Complutenſis apprimè doctus, in Libro de Vera Medicina, Astrologia, & Chirurgia tractat. 1. cap. 4. fol. 49 multis nostratum ingenia laudibus efferentes: D. Joannes de Cardenas ipsidem infulis & dotibus clarus in 1. part. Problematum Indiarum lib. 3. cap. 2. fol. 176. & sequent. exploratum habens, citraque dubitationis aleam supponens, Hispanos in America natos acuto delicatoque & vivido ingenio pollere, reique hujusce causas phycas & principia lato calamo expendens. Henricus Martinus in Repertorio temporum tract. 3. cap. 13. similiter agit, atque uterque, quod alij etiam notarunt, in Cœli, Solis,

Soli

Solique Americani indolem referunt, non modò apud nos genitos vividiori donatos ingenio esse, sed alibi quoque gentium natos expeditiores fieri & ingeniosiores ubi Mexiceas incoluerint plagas, aut Peruanas adierint. Ludovicus Cabreja Historiographus Philippi II Hispaniarum Regis Catholici lib. 2. cap. 9. maximi Americanorum ingenia pendet, temporis ratione habitâ, quod in adhibendis Scientijs insumunt, in quibus omnibus eminere testatur, atque id apud Regia Hispaniæ Consilia non absque admiratione, notum esse subjungit. Illmùs. Portudivirensis Antistes D. Bernardus de Balbuena, in *Magnalibus Mexicanis*, ingenia & litteras cœteraque nostratum, & soluta & ligata oratione extollit & effert, præsertim fol. 31. col. 2. & fol. 84. col. 1. & 2. M. F. Andreas Ferrer de Valdecebro, Dominicanus, in *Regimine generali, Morali & Politica* lib. 4. cap. 34. multis Americana ingenia & res gestas commendat. D. Antonius de Peralta Castañeda Doctor Theologus Complutenſis, in Monito ad Lectorem præfixo Historiæ Tobiæ à se elucubrate, cujus postmodum testimonio commodius & latius utemur, similiter agit, ut & D. Salvator Joseph Manier in Objectione Satisfactoria illustrationi Apologeticæ celeberrimi Benedictini P. Feijoo 2. p. tom. 2. discurs. 15. à n. 28. Nec dissentit memoratus ipse M. Feijoo, loco mox indicando, Americanorum ingenia despiciatui non habens, quamvis à communi sensu de præmaturitate ipsorum discedat. D. Ludovicus Antonius de Oviedo, Comes de la Granja, in Heroyco admirandoque Poe-

mate de S. Rosa Limensi, cancione 1. numeris.  
31. & 32, ut eximia Americanorum ingenia  
commendat, sic etiam præmatura, & in Aurora  
ceu in Meridie fulgentissima laudat. P. Bernar-  
dinus Llanos Societatis Jesu Ocaniensis, qui to-  
ros annos 40 Mexici posuit in juventutis erudi-  
tione, Christianæ Poeseos initio, pag. 374 Poe-  
ticarum institutionum sic habet: *Quoniam autem  
Institutionum hic Poeticarum Liber Mexicanis conscribitur. ado-  
lescentibus, præclara virtutis indole, atque ingenij laude præ-  
stantibus, quorum est, ut ad cæteras artes, & illustria sa-  
pientia studia, ita etiam ad hæc mira propensio, & cum fa-  
cilitate felicitas; quique, suam hujusmodi facultatem in Dei  
præsertim Optimi Maximi ac Deiparæ Virginis, & Sancto-  
rum laudibus exercere gaudent: placuit non nulla Christia-  
norum Poetarum illustrium exempla proponere.* D. D. Fran-  
ciscus de Samaniego natus in Diocesi Calagurri-  
tana, Doctor Osuniensis, apud nos diu agens, in  
Panegyri Illmi. D. D. Francisci Manso Archie-  
piscopi Mexicani fol. 12. col. 1. n. 53. Mexi-  
cum nobilitate & ingenijs quam argento & auro  
ditiores appellat. Et ne multi simus, agmen clau-  
dat eorum qui apud nos commorati pro nobis  
stant, P. Hieronymus Perez de Nueros è Socie-  
tate Jesu Cæsaraugustanus, quondam Theologiæ  
Professor, & Sacrarum litterarum Interpres, in  
Præfatione ad suam Lapidicinam sacram pro Ame-  
ricanorum ingenio decertans, & ejusdem fontes  
& radices indigitans. Ita habet: *Hilari grataque fa-  
cie, ore subridenti, latisque luminibus à cælo Americam  
conspicam, ut cumulatissimo rerum omnium fatu, qua natu-  
ra in delicijs sunt, inter reliquas Orbis plagas locuples emi-  
neret;*

ret, Solemque & Solum veluti amulâ cum Cælo contentione  
in ipsa exornanda, perpolianda, & discedenda conspirasse, cæ-  
rior erit talpâ, qui non videat, ut à Cælo, Sole & Solo  
amanissimum hunc telluris tractum uberemâ Dei benedictio-  
ne cumulatam, jucundissimâ fere semper lenocinante tempe-  
rie, à prædivite omnipotentia penû præcipuos thesauros ex-  
hausisse nullus sit qui insciatur. Totum hoc in speciosissima  
sua Athenarum Urbe condenda, qua nobile quondam fuit  
sapientia Emporium, omniumque artium illustre Gynæceum, præ-  
oculis Minervam habuisse, Cæli, Solis, Solique naturam, prius-  
quam tanta Urbis jaceret fundamenta, curâ solerti perve-  
stigasse narrat Plato, ex quo sic Septimius. „ Unde Plato af-  
„ firmat, cum Urbem illam Minerva moliretur, nihil aliud  
„ quam regionis naturam prospexisse. Natura enim Regio-  
„ nis nescio quid ad assimilandum sibi hominum mores virtu-  
„ tis habet & influentia; unde Plutarchus dicebat „ Planta-  
„ rum semina & hominum, Soli, Cælique mores imitari.  
„ Quod quanto sit acumine & lepore complexus Tertullianus  
„ dum variarum gentium varias etiam proprietates describit,  
„ perspicies, ait enim. „ Thebis hebetes, & brutos nasci de-  
„ latum est: Athenis sapiendi, dicendique acutissimos. Co-  
„ mici Phrigas timidos illudunt: Sallustius varios Mauros, &  
„ Feroces Dalmatas pulsar: Mendaces Cretas Apostolus inu-  
„ rit: fortasse an & de corpore & de valetudine aliquid accedat.  
„ Hinc Hesperia gentis sub natali America Solo, auspiciata Cæli  
„ irroratione, irradiationeque Solis feliciter fecundata, genia, &  
„ ingenia perpendiculari, acrique, & virido, florido pariter, compta  
„ & amano mentis acumine ad omnigenâ litteraturâ studium,  
„ ipsa favente & fovente naturâ, illam conspexeris exorna-  
„ tam, idem quod de Athenis debuccinavit fama, equiori ser-  
„ sam judicio constitutus arbiter de America restaretur. Quod  
„ si Mexicanum regnum cum Europæis conferas, simulque Cæ-  
„ lum

lum intuearis, & duo illa magna, lucidaque luminaria contempleris, de illis locutum fuisse Ambrosium dices, dum ait  
,, Non hæc magna comparatione, sed munere: quia in qua-  
,, cumque parte fuerint cæli, illuminantur omnia, & æque spe-  
,, ctantur à cunctis, ut ea suis tantum regionibus immorari,  
,, & sibi tantum adesse, & lucere singuli populi credant.  
,, Solis radius nulli propinquior est, Luna globus aequalis est om-  
,, nibus. Similis Sol est Indis & Britanis: Eodem mo-  
,, do videtur, cum oritur, nec cum vergit in occasum minor  
,, apparet Orientalibus & Occidentalibus. Hactenus P. Nue-  
ros, cujus quæ restant verba in opportuniorè locum  
servamus. His prònum esset & facile multa sapien-  
tissimorum judicia Europæorum annectere, qui de-  
gustatis Americanorum Libris, eorundem ingenia  
egregijs maclarunt elogijs, quæ tamen, ne multi-  
simus, præterire decrevimus legenda in Censuris,  
quæ præfixæ sunt Libris ipsis, contenti in præsen-  
tia duorum antiquioris Observantiæ Carmelita-  
rum doctissimorum sensibus, quorum alter est  
M. F. Isidorus Gama, Primarius Antecessor Theo-  
logia in Regia Universitate Neapolitana, alter M.  
F. Hyacinthus de Aranaz, insignis Scriptor, Epif-  
copalibus insulis decoratus. Ille in Epistola data  
ad M. F. Leonardum de Avalos editorem Ora-  
tionum quas apud Peruanos habuit M. F. Ferdi-  
nandus de Herrera ejusdem Ord. Primarius Theo-  
logus Academia Limensis, prodierunt autem Nea-  
poli ex Officina Ludovici Cavalò anno 1674; Ame-  
ricam non minus ingeniorum feracem esse inquit,  
quam metallorum, ut argumento sunt edita & in-  
edita plura ab Americanis Scripta, quæ longe plu-  
rima forent mandata typis, ni istorum caritas ob-  
stiti-

stitisset. Hic verò, Aranazium loquimur, in Appro-  
batione data Panegyricis Marianis Sermonibus à  
P. Josepho de Hoyos Franciscano nudipede Mexi-  
ci dictis, editisque Matriti apud Emmanuelem Ruiz  
de Murga anno 1705, Problematis instar retro  
se habuisse dicit, num Indiæ metallis opulentio-  
res sint, num ingenijs? Ubi verò aureum Autho-  
ris Mexicani ingenium in Orationibus illis con-  
trectasset, propendere se magis in secundam par-  
tem fatetur, atque, ut Lipsius scripserat lib. 4 Epist.  
8; se apud illud Volumen invenisse *Portenta, non  
verba*. Jam verò duo in præsentiarum hujusce rei  
capita occurrunt luce, ut cumque, sequentibus An-  
teloquijs donanda, alterum de præpropèro no-  
stratum ingenio, alterum de præmatura itidem  
ejusdem ingenij defecatione.

## ANTELOQUIUM XII.

Ingeniorum maturatio Americano-  
rum expenditur: eruditissimi ac gra-  
vissimi Critici M. F. Benedicti Fei-  
joo sententia ea de re propulsatur.

**Q**UOD spectat primum, communilicet exi-  
stimatione firmatum sit, natis in Ame-  
rica Hispanis citius quam Europæis in-  
genij lumina illucescere, suapteque præmi-  
care; hanc tamen opinionem ceu errorem vulga-  
rem habendam contendit eruditus admodum &  
insignis Criticus M. P. Benedictus Feijoo in Thea-

tro Critico universali tom. 4. disc. 6. § 5. à n. 21.  
Nec enim antelucanum, ut sic dicamus, nostratum ingenium causam esse sibi persuadet eorundem in re litteraria festinationis, sed alios ejus fontes apertissimos, ut credit, satisque sibi exploratos indicat. Sanctum id habet, nosque cum ipso, nostrates pueros duodennes, imò etiam minoris ætatis, absolutâ Grammaticâ atque Rhetoricâ, Philosophiæ operam dare, moxque Facultates majores excolere, ac subinde admodum juvenilibus annis laureatos Academicis insignibus gradibusque prodire, cujus rei monumenta leguntur etiam ab Authoribus Europæis recepta celebrataque, quos inter eruditus D. Salafranca in Monumentis eruditis pag. 18. At enim non puerorum ingenijs isthæc tribuenda sunt, sed uni accuratori eorundem institutioni, & præproperæ genitorum ac Magistrorû diligentia ac industria, si doctissimo standum est viro Feijoo. Ut verum tamen fateamur ingenuè, difficile nobis est creditu, Europæos Parentes & Præceptores minus Americanis accuratos esse in formandis litteris pueris, minusque eis dedolendis invigilare. Hercle verosimilius existimabitur à prudentibus, id circo Europæos, tardius nostris, pueros in ludum litterarium à parentibus duci, quòd vereantur operam perdere in excolendâ atatula illa, quam immaturam esse hauriendis rudimentis primis compertum habent. Quod verò addit Feijoo, Americanos discipulos nullum Philosophiæ Cursum excipere calamo, sed typis excusum aliquem studere, ejus Collegæ laureati arbitrio, cui certus discipulorum numerus traditur ex-

colendus, & quotidianis pensis exercitandus; forsitan alicubi Americæ Peruanæ in usu erit; in America autem, qua late patet omni, Mexicæ, secus esse nemo non scit qui Scholarum nostrarum mores agnoverit. Nam si PP. Carmelitas nudipedes excipias, Philosophiæ Cursum ab editis Complutensibus suis, præscripto Familiæ, haurientes; reliqui ad unum omnes cujuscumque Scholæ sint & Ordinis, Academici Seculares, & omnium Collegiorum alumni, non Mexici tantum, sed ubique Gymnasiorum Borealis Americæ, distantem è suggestu Magistrum audiunt, atque in Codices referunt Cursum ab unoquoque elucubratum Magistro pro auditoribus suis, cujus rei argumenta permulta trademus in Bibliotheca nostra Cursus Mss, prætermisissis innumeris, quorum Authores querere & nominare res esset operosa nimis atque molesta. E Mss istis publici juris factus fuit statim ab Academia condita, quem nuper dictaverat M. F. Alphonsus à Vera-Cruce, deinque traditus à P. Antonio Rubio, uterque magni æstimatus à Mexicæ Professoribus, non propterea elucubraciones suas è Cathedra tradendas prætermittentibus. Hac etiam methodo & Theologia & Jura & cæteræ Facultates doceri mos est nostratum ab usque fere Studiorum Mexicanensium origine, adeo ut Carmelitani ipsi nudipedes, aliter, ut diximus, in Philosophiæ Cursu se habentes, in Theologia tamen patrium morem observent, modestèque reluctati fuerint Generali Præfecto R. P. M. Paulo à Conceptione, in votis habenti, suam ut apprimè excultam Theologiam typis editam, è Ca-

thetra Lectores exponerent, & proprias unius-  
cujusque elucubrations dimitterent, quibus in  
præsentiarum etiam dictandis insistunt. Jam verò  
minores in Scholis nostris ferias esse, nec longas  
singulis annis intercapedines, fatemur quidem si-  
ne fidibus & tortore; hanc tamen discendi assi-  
duitatem, nisi ingenium comitetur, incrementis ca-  
piendis haud multum prodesse res ipsa docet &  
experientia: Quid enim profit invitâ Mineryâ &  
averfis Musis? Certè, quantumvis surdo canas, &  
dulcia quæque infusurres, occinet ille nihil. Ac-  
cedit admiranda nostratum facilitas in Scientijs  
quibusque callendis, & in acutiora & subtiliora  
prontitas, qua ducti Poësim omnem excolunt, In-  
scriptionibus seu Elogijs gaudent, & Epigramma-  
tis ad ludendum aptissimis, ac in Scholastica re cu-  
jusvis Facultatis, ardua licet & spinosa, versari gau-  
dent, seseque à nodis argumentantium expedi-  
diunt, atque intricata facilè extricant & enodant,  
mirantibus veteranis Gymnasij Professoribus faci-  
litatem & promptitudinem copiamque doctrinæ,  
qua imberbes utuntur. Porro laudatus supra Do-  
ctor Theologus Complutensis D. Antonius Pe-  
ralta Castañeda, Canonicus Magistralis Angelo-  
polititanus, Antecessorque Theologiæ ibidem Pri-  
marius, loco dato testatur, minorem quidem scho-  
larium numerum esse in Gymnasij Angelopoli-  
tanis, quibus ipse præerat, quam esse soleat in  
Complutensibus, apud quos imbiberat litteras; pro-  
vectorum tamen in Scientijs copiâ istis illos an-  
teire: Seque assuetum Magistris gravissimis Com-  
pluti respondere in palæstra certantibus, non se-  
mel

mel Angelopoli, ut propositas à Discipulis suis ob-  
jectiones dissolveret, impeditiorè factum, nec absque  
negotio nodis se eis expedijsse. Nec fateri veretur,  
prodigia se in adolescentibus nostris miratum esse.  
Sanè, ut is Doctor, nominati superius testes, experi-  
entiâ rerum & usu, ingenio isthæc attribunt, non  
conatui tantum atque labori, suntque & ex ip-  
sis aliqui, & alij præterea Scriptores egregij, quos  
recenlet ipse Feijoo § 7. n. 25. non modò Eu-  
ropæis æqualia nostratum ingenia laudantes, sed  
præstantiora. Sunt illi, magnum nomen purpura-  
tus P. Alvarus Cienfuegos, in Vita Sancti Fran-  
cischi de Borgia, Leonardus de Arenzola, in Hi-  
storia Expugnationis Molucarum, P. Emmanuel  
Rodriguez, in Historia Maranonis, D. Josephus de  
Oviedo & Baños, in Historia Venetiolæ, P. Al-  
phonfus de Oyalle, in Hist. Chilensi, D. Lucas  
Fernandez de Piedrahita Episcopus Panamensis,  
in Hist. Novi Regni Granatensis, Garcilafus de  
la Vega, in Commentarijs Regijs Incarum, & F.  
Joannes de Torquemada, in Monarchia Indica,  
queis adjungit P. Jacobum Vaniere Gallum So-  
cietatis Jesu, in egregio Poemate dicto *Prædium ru-  
sticum* Limentes sic efferens:

*Fertilibus gens dives agris, aurique metallo,  
& ditior ingenijs hominum est, animique benignâ Indole.*

Nos P. Mathæum de Castroverde Societatis etiam  
Jesu adducentes in Panegyrico Immaculatæ Vir-  
ginis Conceptionis Mexici celebratæ, sic modu-  
lantem:

*Mexicus interea toto celeberrima Mundo  
Ingenijs, opibusque vigens &c;*

Memoratum Feijoo secuti, rem hanc in ancipiti, ut videtur, habentem, licet multis suis illustratam de præstantiâ Americanorum observationibus; malumus in medio relinquere, qui primatum ingenia inter arrogare nostratibus, alijsque invidere gloriam Nationibus, nulli tentamus, non nescientes quam sit verum illud,

*Qui velit ingenio cedere rarus erit;*

Satisque nobis existimantes consultum iri, modò subfella inter eruditos nostra, non sanè postrema, occupemus, qui primaria haud ambimus quidem, aut sapientissimis Orbis veteris & celebratissimis Doctoribus suffurari posse citra arrogantiae piaculum, & desipientiæ notam, optimè scimus, præ oculisque habemus Epistolam XIII tom. IV ab laudatissimo Feijoo de excessu ingeniorum, comparatione inter Nationes factâ, apprimè conscriptam.

### ANTELOQUIUM XIII.

Præpropere Americanorum Ingeniorum defectio conficta ostenditur, & ad fabulas amandatur.

**R**estat, à nostratibus præmaturo donatis ingenio, præproperam, quæ à multis reputatur, desipientiam abigere, cui & si refra-

fragerur laudatus M. Feijoo, ipsum impugnandi ergo, insistit eruditus Manier, nihili argumenta ducens ab exemplis petita eorum, quos in devexâ ætate Feijoo retulerat iudicio pollentes & litteris, quòd è quatuordecim viris laudatis, unus in America vitam egerit, reliqui omnes ætatem duxerint in Europa, à qua vires & ingenij constantiam mutuati fuerint. At enim, aniles inter fabulas ingenij defectionem Americanorum trigesimo, quadragesimo ve, & ulteriori ætatis anno, referendas dicimus plenis, ut ajunt, buccis, & mille testibus ampliusque comprobabimus, Viros pro Instituto nostro exhibentes grandævos ætate, & iudicio florentes, quorum plerique Europam ne viderunt quidem nisi in tabulis geographicis, pauci, eam salutantes, post biennium aut triennium nostris se laribus restituerunt, quibus non injuria proverbium aptaveris: *Senectâ Leonis præstantior hinnulorum juventâ.* Nam & in Academia Mexicea Antecessores frequenter habemus Emeritos, & strenuam litteris operam dantes, qui cum id honoris nancisci haud possint nisi post vicenalem professionem Cathedræ perpetuæ, vixque eam auspiceretur ullus, quin temporarijs regendis Cathedris prius incubuerit, nec has nisi 25 ætatis anno, si modò felicissimus sit, assequatur in tanto candidatorum numero; fit, ut is qui citissimè progressus fecerit, non ante annum quinquagesimum rude donatus sit. Accedit, eorum plures non statim requiem captare, aut ab Gymnasijs divelli posse. Sunt & multi Doctores quadragenarij, quinquagenarij, sexagenarij, ac septuagenarij, & seniores, qui diversis